



376

374

380

Liburniae vel Cranatiae applicuimus et inter scopulos loco invento  
navem stabilivimus anchoris et ligaturis in loco, quem nomina-  
bant Dalmatae Brusset sigwis. Erat autem locus pulcher satis,  
sed desertus, et nullas vidimus habitationes, quamvis non longe  
essent a nobis habitationes, sicut patebit.

370

385

Die XXIX., quae est S. Thomae Cantuariensis, erat ventus  
nobis omnino contrarius et nulla dispositio ad navigandum, sed  
e contra naves fortius ligabant. Habuimus autem taediosissimam  
diem, caliginosam et pluviosam, et spirituale nec corporale gau-  
dium habuimus, sed tristes sedimus. Nonnulli tamen de galeotis  
gaudebant de istis otiosis diebus, quia ipsi in ludo chartarum exer-  
cebant et ludebant simul pro argento et auro, et ita ipsi diem  
deducebant. Majorem partem illorum dierum ego scribendo et  
interrogando de locis deduxi.

365

425

325

475

275

Trigesima die manente vento contrario incidit intensem  
frigus, et domini de superioribus galeae ad nos in carinam con-  
fugerunt, et illo die primo incepimus sentire hiemem, hactenus  
enim tamquam vernum et aestivum tempus habuimus. Post pran-  
dium factus est tumultus in tota classe propter quendam galeotam  
furem torquendum in alia galea, ad quod videndum omnes ad  
superiora galearum adscendebant. Ligaverunt enim sibi manus a  
tergo cum longa chorda, quae ex heba deorsum in trochlea de-  
pendebat duplicata, eo autem ligato trahebant alteram chordae  
partem reum(que) sursum in altum miserabiliter manibus trans-  
versis suspensum trahebant quasi usque mali summitatem, et de-  
mum eum cadere deorsum (b) dimittebant, non omnino usque  
super pavimentum, quia confractus fuisse, sed post ruinam sus-  
pensus mansit. Mirabar, quod brachia non fuerint a corpore  
avulsa. Pauci cum eo habebant compassionem, dicentes eum du-  
dum majora meruisse supplicia. Dum nox facta fuit, omnes, qui-  
bus licuit, in carinam descenderunt, et facta fuit inquietudo et  
compressio in carinam propter frigus, quod fugiebant. Incepimus  
etiam egestatem pati in multis, et male de coquina et cellario  
providebatur nobis, ex quo augmentabatur taedium navigationis et  
maris odium et navis abominatio.

Ende

Die XXXI., quae est Sylvestri papae et ultima decembris, se-  
renatum quidem fuit coelum solque et sidera apparuerunt, sed  
ventus contrarius augmentatus est nec classis se movere a loco

Anfang